



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.DC.V. Sancti Patris Benedicti. M.C.XXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

tholomæus Gomez, F. Dominicus de Aldave, F. Lucas de Cabanas, F. Alphonsus Perez, F. Chrysoftomus Caverus, alijque plurimi, inter decora sæculi nostri summo applausu referendi.

Nec Germaniæ etiam inferiori sua defunt luminaria, è quibus singulis ferè annis & hoc etiam anno, aliqua cœlis digniora quàm terris, illis inseruntur. Ex his Jacobus de Marquais, Abbas S. Martini Tornacensis, hoc ipso anno mortalitatis curriculum absol-

Jacobus de Marquais  
abb. Tornacens.

vit. De eo sic ejus Monasterij monimenta: *Jacobus de Marquais, ex Priore Vedastino hujus loci Abbas meruissimus, toti Ordini verbo & exemplo profuit, non minus ab eruditione, quàm à Religione celebratus. Historicus sui temporis præclarus, compunctionis, ut sacri vocamus, dono à Numine donatus, rigidus sui corporis tortor, Discipline exactissimus promotor, quem viri maximi plurimum suspexerunt, & commendarunt. Illustrius Guilielmus Lindanus, Ruremundensis, & Joannes Vendevillius, Tornacensis, Episcopi; Jansenius præterea & Cuickius Lovanien-sis Universitatis columnæ, Cesar Baronius, alijque. Fuit decoris Domus DEI diligens admodum, suamque Basilicam insigniter excoluit. Vasa aurea & argentea pro sacris Reliquijs pretiosissima comparavit; Reconditorum Venerabilis Sacramenti admirabili opere exornavit. Vitamque demum stupenda in infirmitatibus patientia coronans, hoc anno; sancto sine complevit. Ita monumenta cit. & nos tomo 3. Germ. nostræ.*

Ejus Elogium.

Comitem itineris ad felicitarem æternam Jacobus Joannem habuit Ursidungi nobilissimum Abbatem, animi demissione maximum. Is jam antea Gerardimontanus electus Abbas pro viribus restitit, Ursidungo ut præesset, invitus abreptus & reclamans coactus est. Erga inopes largissimus, super exspoliatione Monasterij patientissimus, id solum est questus, quod pauperibus pro animi sui voto subvenire non posset. Erga ægrotos similiter, charitate supereffluens Xenodochium (Veteri nostrorum more, mille & amplius exemplis comprobato) in urbe extruxit, & insigniter dotavit, ægrifque suis ipse manibus inservijt. Sacris eruditus & summè delectatus litteris; opuscula quædam non minimi labo-

Joannes Abbas Ursidungi.

Pauperum Pater.

ris, multi fructus edidit, &c. *Ursidungi monumentis.*

ris, multi fructus edidit, &c. *Ursidungi monumentis.*

Ipso hoc anno 1604. Non sine singulari Numinis gratia & instinctu ad Monasterium S. Severini Neapolitanum se confert Illustrissimas Juvenis Scipio Caraffa Fabricij Ducis Andriæ filius, & sacram vestem multo fervore exambiens. abjecta purpura in Domino Deo esse abjectus eligit, ea indutus 15. Octobris expleto ætatis anno decimo quinto, Tyro incomparabilis, ea generositate sacram militiam aggressus, quam mirarentur emeriti, summa in durissimis alacritate, in sacris devotione, ita ut consodales omnes, in proposito & studijs perfectionis longè antecelleret, & verè Principem in quatuor Principalibus Religionis Virtutibus, demississima humilitate, modestia, obedientia & silentio ageret, exemplo & admirationi omnibus esset, facileque in ipso ea se proderent, quæ deinceps in omni vita, pro ædificatione omnium & totius Ordinis gloria gesturus esset. *Ex vita per Ang. Perseverantem Casinatem.*

Pen. ab. fuit. ex. sa. su. no. vium.

Exempla sanctitatis.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. V. Sancti Patris Benedicti. M. C. XXX.

Mortuo hoc anno Clemente VIII. Pontifice Maximo, tanta populi Clerique Romani Cardinaliumque multorum de Eminentissimo Cardinali nostro Anna de Escars æstimatio fuit, ut neminem digniorem summo in torris honore crederent, & ut talem aliquot horarum spacio incredibili tota Romana Urbe plausu præclarent; aliter volente Numine, & virum adeo charum à tanti periculo muneris & arduitate, gratiosè præservante, Electus proin Italus prodijt, Leo XI. Medicæus, quod suspecta Henrici IV. potentia & ingenium essent; & hoc post quinque & viginti dies, morte sublato, cum totius populi studia in Annam denuo inclinarent, imo nemo eligendum tota Urbe non crederet, & Vivat vivat Escarsius Sanctissimus noister, nullo non foro & compito diutissimè personaret, hic tamen procul ambitione omni, summa animi consolatione Paulum V. Burghesium cum reliquis Patribus Pontificem salutavit, & adoravit; ea tamen omnium erga ipsum reverentia, ut quo minus mu-

Annus Carol. noster et summum honorem expavit.

Uma populi vox, unum fuit iterum ipsum expetentia.



nerè & officio sanctissimus, reapse tam sanctus ab omnibus coleretur, & suspiceretur. Fuit summa apud sanctissimum ipsum in reverentia, qui in ipso, non minus suspexit, quod Vox populi à Numine ipso esse, sua acclamatione prodidit; etsi certus esset Numini aliter placuisse. *Ex Vita ejusdem Cardin. Ms. Ant. de Scala, Amando Tribut, &c.*

Alia rursus reformatio

Alia rursus reformatio Ordinis & sacrae nostrae Familiae Cisterciensis in Gotlandia (ut toti obstupescamus super tam admiranda, sive nostrorum Vigilantia, sive potius singulari Numinis erga sanctissimum Ordinem nostrum benevolentia, singulis omnino saeculis non unum, non duo solum, sed plurimos Zelantes pro Domini Domini excitantis, qui diversissimis Regnis ac Provinciis, primum Benedictinum Spiritum foveant, resuscitentque) Reformatore agente Pontificis Maximi jussu, magno illo & spectatissimo, meritis sanctitatis & summae eruditionis viro P. F. Laurentio de Zamora; in quo hoc ipso tempore, tanta vitae integritas & candor effulsit, ut non modo totius devorae plebis praeconio Sancti ac verè Pij nomen accepit, sed & virorum Principum tam Barchinonae & CaesarAugustae, quam Madriti Regia civitate, ita amorem atque animos obstrinxerit, ut eum non aliquem è mortalium catu, sed tantquam Numen ab alto lapsum, suspicerent ac venerarentur. Obligavit aeternitatem ipsam praeter alia summi nominis merita, & Apostolicos labores, immensi laboris ac doctrinae opere, Laurentius noster, quod *Monarchiam Mysticam* nuncupavit, omni humanarum Divinarumque scientiarum ornamento excultum, atque in diversos libros distinctum:

P. Laurentius de Zamora

- De Perfectionibus & Attributis Divinis, & ineffabili Mysterio Sacrosanctae Trinitatis. . . . . Libri 3.*
- De cognitione propria, de casu hominis & miseris natura humanae, deque effectibus peccati. . . . . Libri 4.*
- De Prærogativis, & laudibus Virginis Mariae. . . . . Libri 10.*
- De Viris Illustribus sanctae Christi Ecclesiae. Tomis 3. Libri 8.*
- De armis offensivis & defensivis Ecclesiae. Libri 2.*

Ejus ingenij monumenta

*De fuga Beatissimae Matris Virginis in Aegyptum. . . . . Liber unus. Sermonum in Quadragesima habiturum. Tomus unus.*

In Cantica Canticorum dum scriberet, morte praeventus ad immortalitatem felicem & ipsa Canticorum Cantica audienda & concinenda evocatus abiit & obiit. *Villega, Marian. Mor. Henric. Manriq. &c.*

Magnum iterum lumen Ordinis & sacrae Cisterciensis familiae extinguitur, Reverendissimus D. Edmundus à Cruce, Trecentis patriae, Theologus Parisiensis, Zelator Disciplinae Regularis & promotor singularis, Reformatore praecipuus Ordinis, quem toto plane Orbe, multis cum magno labore atque periculis peragratis remotissimis provinciis, ubi vis fervorem suum sanctissimum comprobans, ubique *Benedictum* introducere *Redivivum* allaboravit. Ausus Clementi VIII. indulgentius cum irreformatis compatiens, rem demonstrare clementissimè auditus & exauditus est, Praesul (Cistercio enim ipsi praesuit) nunquam satis celebrandus, qui & opuscula digna aeternitate non pauca scripsit. *De quibus Segvinus in Bibliotheca sua Cisterciense.*

Edmundus à Sancta Cruce.

Inter Pontificalia Ecclesiae Sydera effulget hoc anno & tempore Reverendissimus Placidus, cognomento Fabius, sanctissimae Congregationis nostrae Olivetanæ oliva fructifera in domo DEI, & ejusdem Marianae familiae Generalis, Castri Episcopus, pro meritis nuper à Clemente octavo profectus. *De cuius laudibus & meritis consulendi ejus Ecclesia fasti, & Ferdinandus Ughehus.*

Placidus Castrensis Episcopus

Moritur hoc ipso etiam anno Venerabilis memoriae P. F. Athanasius de Lobera SS. Theol. Doctor, Monachus antiquissimi Monasterij in Galletia, Montis Ramorum. Ubi eruditionem pietati jungens, miro desiderio juveni proximum, ne talentum sibi à Domino creditum defoderet, afficiebatur. Multum in Philosophico & Theologico studio profecit, inter ingeniosos & industrios sui temporis, tota Hispania habitus. Inter omnia tamen quae coluit studia, nullum promptius amplexus est, quam Historiarum, ac proin magna diligentia, Hispaniarum perscribens Antiquitates, & praclarorum

P. Athanasius de Lobera.



forum Virorum, quos præterita de-  
 derant sæcula, Heroica facta ab interi-  
 tu vendicans, magnum inde sibi no-  
 men, illis memoriam conciliavit fem-  
 piternam, singulari tamen diligentia  
 Regni Galetiae, antiquitatem, magni-  
 tudinem, & Nobilitatem scripto man-  
 davit, quod inter omnia Europæ Reg-  
 na habeat, quidquid Regnum vel Pro-  
 vinciam reddere beatum possit. Ut  
 tamen Historicum hoc studium Spiritu  
 non suffocaret, aut Monasticum  
 fervorem exingueret, etiam calamum  
 ad sacra convertit, elegantique stylo  
 Vitas SS. Froilani & Atilani, Mona-  
 chorum Monasterij de Moreruela, &  
 Legionis ac Zamoræ Episcoporum lu-  
 ci dedit. Cumque eruditionis ejus fa-  
 ma per Hispanias spargeretur; Philip-  
 pus II. Hispaniarum Monarcha, ut e-  
 jus laboris fructu fruere, cum Hi-  
 storiographum suum creavit. Unde  
 & liberius suis vacare studijs potuit.  
 Scripsit autem sequentes Tractatus:

Scriptor in-  
signis.

*Vitas Sanctorum Froilani Legionensis, &  
 Atilani Zamorensis Episcoporum ex-  
 cusas Vallisoleti. . . . . Lib. 1.*

*Antiquitatem Urbis Legionensis. Lib. 1.  
 Epistolam Historicalem ad Regem Hispani-  
 rum Philippum II. in folio.*

*Chronologiam Regum Hispaniarum, eidem  
 Philippo inscriptam.*

*Chronicum Magnum Regni Galetiae Vallis-  
 oleti editum.*

Ubi & decessit anno Christi 1605  
 Ex Henrig. Manrig. & Hispan. Scriptoribus

Aloysius  
Carassa  
Romam  
invitatur.

Probat hoc ipso anno 1605, insigni-  
 ter fervorem suum in Religione No-  
 vitium Aloysius noster Princeps And-  
 riae & à cognato Decio Carassa S. R.  
 E. Cardinale Archiepiscopo Neapoli-  
 tano invitatus secum Romam perge-  
 re ad electionem Pauli V. ut ibi ad Ec-  
 clesiasticam celebrem Prælaturam  
 promoveretur: gratias quidem egit,  
 sed non ideo se factum Monachum  
 dixit, ut honores exambiret sed fuge-  
 ret & poenitentiam in cella ageret; quo  
 responso adeo compunctus est Cardi-  
 nalis, ut desuper uberrimas profunde-  
 ret lachrymas. Aloysius autem sacra  
 professione emissa tantis paulo post  
 virtutibus emicuit, ut pro exemplari  
 sanctitatis cæteris à Superioribus pro-  
 poneretur. Ex Vita, &c.

Cardinalis  
cognat la-  
chryma.

IESU CHRISTI ANNU S. M. DC. VI.  
 Sancti Patris Benedicti. M. C. XXVI.

Illustrissimum sanè Ordinis Bene-  
 dictini decus, Germaniæ Univer-  
 versæ singulare ornamentum Baltha-  
 sar à Dermbach Sacri Romani Impe-  
 rij Quatuor-Vir Abbas Fuldenfis, Ro-  
 manorum Augustæ Archi-Cancella-  
 rius, Princeps cælo pridem maturus  
 & dignus, in fornace tribulationis uti  
 aurum longo tempore probatus & be-  
 ne excoctus, & purificatus, die Mar-  
 tij decima quinta anni præsentis 1606.  
 jam inter Divinam, plenus bonarum  
 cogitationum, & recens ab exomolo-  
 gesti, reumate venis completis, veter-  
 no constrictus est; quo ad secundam  
 usque Vigiliam noctis laborans, tota  
 lugente Aula, Deo tandem Spiritum  
 reddidit, ipsa memoria S. P. BENEDI-  
 CTI, cujus Regulam verè se sequi pro-  
 fitebatur, quem octiduo præcessit Jo-  
 achim Hersfeldensis Abbas & Princeps,  
 summo Balthasaris luctu, & qui hunc  
 penè suffocasse visus est, quiritantem  
 gravi cum gemitu, Ecclesiæ illius cui-  
 cuimodi reliquas spes, eodem cum Jo-  
 achimi funere afferri. Tantopere af-  
 flexit optimum Principem, quod saga-  
 ci animo, an Prophetico providit spi-  
 ritu, Sancti BENEDICTI meritissimam  
 de cælis terrisque hæreditatem sacri-  
 legis manibus obveneram, ut his sanè  
 Principijs & causis, mors non mi-  
 nus gloriosa, quam Martyrum videat-  
 ur. Ex Annalibus & monim. Fuldens.

Moritur  
Balthasar  
Abb. Eold.

Ob. Jo-  
achim abba  
Hersfeld-  
densis ult-  
imus.

Hoc ipso etiam anno numerum Cœ-  
 litum auget, Beatæ memoriæ Mala-  
 chias noster Jacensis Episcopus, insigni-  
 nius nostra ætate Episcoporum exem-  
 plar & speculum. Is ex Hortensi Hi-  
 spaniæ non tam Monasterio, quam sa-  
 crarum deliciarum horto, sub exactio-  
 re sanctissimæ Cisterciensis Reforma-  
 tionis nostræ instituto, cucullum am-  
 plexus, ab ipsa juventute perfectionis  
 studio insignis effulsit, cujus Vitam &  
 compendium coactum ex Vincentio  
 Blasco libro 4. Hist. Eccl. subijcimus.  
*Malachias de Aso, in oppido Mucha,  
 quod 4. miliaribus distat à Civitate Cæ-  
 saraugustana, parentibus Christiana Re-  
 ligatione & nobilitate claris natus est. Stu-  
 dijs literarum à juventute deditus, post-  
 modum disciplinam & Religionem S. Ber-  
 nardi in Hortensi Monasterio suscepit. Mul-  
 tum doctrina, prædicatione & exemplo vir-  
 tutum*

Ven. Ma-  
lachias Ja-  
censis. Epi-  
scopus.

Fit Episco-  
pus Univer-  
siti.